

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Aurifodina artium et scientiarum omnium**

**Drexel, Jeremias**

**[Antwerpen], 1641**

**Cap. VIII**

**urn:nbn:de:bsz:31-97047**

versariis inscribere, quod ad Historica videatur pertinere, modo inscribatur, index dirimet controversiam. Iudicium hic subinde hallucinatur; parum refert. Modo tui armenti pecus sit; de stabulo non litigemus. Sed ut in paradigmate hujus indicis quinque characterum exempla sint, prout coepimus; vide initium etiam sequentis elementi.

*Larvata funera.*

*Lucar.*

*Laticlavii.*

*Luctus, inhonoros demon.*

*Litteræ breves.*

*Lua.*

*Litteræ lepori insuta.*

*Liber vita.*

*Locus non facit sanctum.*

*Linum Indicum.*

*Lararia.*

*Laterna surda.*

&c. &c.

Hæc omnia, quod sepius jam monui, in exemplum monstruo. Tu alios atque alios tibi titulos para. Hæbet indicem Adversiorum. Faciamus gradum ad Historica, quorū tibi paradigmata paucis exhibebo.

### CAPVT VIII.

HISTORICA ad quem modum  
excerpenda.

H Vic classi tertia nomen dedimus HISTORICA. Quidquid igitur ad histori-

K 2

stori-

storiam sacram, profanam, veterem, novam, Latiam, Græcam, Barbaram spectat, in hanc classem excerptendum est, siue id fuisus, & verbum è verbo placeat exscribere, sive historiam brevissimè notare consultius videatur. Vtriusque modi exempla subjiciam, tam historiæ breviter notata, quam integre descriptæ. Hic autem obvia sumo, & quæ prius oculos manusque occupant.

FORTVNÆ LVDIBRIVM Alvarus Luna. Hic ab humili fortuna ad summum pervenit: in præcepsum cum ambitio dedit. Nihil ei ad regnum præter nomen deerat. Tandem bona ejus omnia occupata, ipse Majestatis damnatus, mulâ ad supplicii locum vectus est. In medio foro theatrum, in eo crux alta, & geminæ facies, tapete substrato. Luna descendens locum, crucem veneratus, annulum signatorium & galerum amanuensi puero dedit: proximæ felicitatis cum præsenti fortuna comparatio, inimicis etiam lacrymas excusserat. Erat uncus ferreus sublimi ligno confixus. Rogat carnificem, & quem in usum paratus esset? Ille, ut se junctum à trunco caput imponatur. Subdit Alvarus: Post mortem de corpore facito, quod lubet. Viro forti mors turpis esse non potest, nec immatura. Simul diloricatis tunicis intrepide caput securi subjecit, anno 1453, 3. Nonas Iulii.

Tri-

a Die 5 Iulii.

Triginta annos ita in aula dominatus est, ut nihil nec majoris nec minoris rei, nisi eo arbitrio gereretur: ita ut nec Ioannes III, Rex Castellæ vestem mutaret eo non conscientio. Truncus in theatro relicitus, pelvis iuxta posita ad colligendam stipem, qua sepeliretur homo paulo ante regibus potentia exequandus. Sic res humana variant: Alvarus prioribus annis vacem consuluit: prædictum est, Cadahalsum exitio fore. Est oppidum hujus nominis in Hispania, quod semper vitavit Luna, & significat etiam ferale theatrum, quod vitare non potuit. Ioan. Mariana l. 22. Rerum Hispan. c. 13. mihi pag. 47. De Comite Essexio in Anglia Iul. Cæsar Bulengerus lib. 11 Rerum Gallicarum, mihi pag. 335. Bironius capite plexus in Gallia; eventus miri. Idem pag. 339. & seqq. a

De similibus fortunæ ludibriis innumeris proflus excerpsti. Ante diem clauso componat vesper olympos, quam hæc omnia recitem. Possum ego his talibus hominibus theatrum ingens implere, & adornare scenam amplissimam è tot tamque variis tragœdiis. Fac initium excerpsti, Faustine, & experieris, quam crebra sint in omni historia hæc fortunæ crepitacula. Sed en etiam paradigmata historiarum quas brevissime annotavi.

K 4 TRANS

a Liber hic minus obvius est, nec cuiusvis sumptu parandus, ideo excerbere necessarium duxi.

TRANSFVGÆ CRVCIFIXI, & elephanti-  
bus substrati proterendi. Valer. l. 2. c. 2.  
Auctor passim obvius est, ideo rem pau-  
cis notavi. Hoc autem historiæ veteris  
est; addo recentioris.

NEBVLÆ DVLCIARIÆ a missæ juveni,  
sed venenatæ; & qui mortem evaserit.  
Sodalis Parthenius, l. 2.c. 8. pag. 317. liber  
in manibus est.

INVENTIO QVANTI sit, Christophori  
Columbi ovum monstrabit. Lipsius l. 1.  
Antiquarum lectionum, initio. De Archi-  
mede hic plura, pag. 143. &c 145. Addo fu-  
sius notatum.

FAVSTI VITES. Convivas habuit in-  
faustus ille Faustus multos amicorum.  
Petierunt hi, vites uvis prægnantes sibi  
repræsentaret in mensa, quamvis putarint  
brumæ tempore ab uvis tam alieno, id  
fieri non posse. Nec tamen difficilis fuit  
magis persuasu. Vites igitur præstigiis è  
mensa evocat racemis vegrandibus ple-  
nas. Prius tamen omnibus edicit legem,  
ut alto silentio expectent, dum jubentur  
uvas carpere. Omnes se legi obtempera-  
turos recipiunt. Mox infamis artifex, in-  
cantamentis carminum ita oculos appo-  
ta turbæ præstrinxit, ut illis tot botri mi-  
ra magnitudinis, & succo maturo pleni  
apparerent, quot eorum mensa numerab-  
at. Omnes ergo in gulam hanc avidissi-  
mi, jamq; nonnihil fitibundi è temulen-  
tia,

a Zuckerwerck/ Marzepan/ Schleckwerck

tia, suum quisque cultrum ad uvam sibi proximam apponit, dum modiperator Faustus jubeat secare. Natant omnium dentes saliva, & in astivam hanc voluptatem pruriunt. Hoc situ aliquamdiu tenentur: ingens omnium expectatio, dum cultro jugulent jam capram praedam. Tandem formosissima viris evanescit & in fumum abit. Illi nebula magica jama dispulsa, visi sunt singuli suum quisque tenere nasum apposito cultello jamjam pro uva secundum. Quod si quis immemor praecetti aut contemptor, botrum sibi destinatum praescindere voluisse, nam sibi joculari vulnere praesciuisset. Hic omnium risus, & indignatio.

Hoc totum excerpti, sed meis verbis. Vide Simonem Majolum part. 2. Canicloachimum Camerarium in Horis Subseciv. c. 70. Ad has Fausti vites, historiam retero nobilissimam, de Auxentio, qui à Licens Imperatore iussus, aut Baccho uam ponere, aut militarem zonam solvere, ac facessere; ille nihil cunctatus zonam liberrime solvit, Christum confesus. Suidas id fuse narrat, voce, Auxentius, pag. 156. Addo breviter enotata.

BOMBARDA HOMINE ONVSTA. Maffejus de Didaco Mesquita l. 9. Hisf. Indicæ pag. 259. vide Lipsium in Poliorceticæ analæctis.

LIBERALITAS IN PAVPERES. Hic historiarum mare est, quod ingredi non

K S vacat.

vacat. Auctores quām plurimos confignavi, qui narratu & fide dignas historias de eleemosynis scripsierunt. Vnicus Valentinus Leuchtius 99 capita in Viridario Regio, idiomate vernaculo in hanc rem posteris eum curâ excerptit.

VINDICTA DIVINA. Hic pñè diffusus se mare offert: non ingredior. Historias pñè innumerās hujus thematis selegi, auctoribus sedulo notatis. Nimurum in omne flagitium ultio divina vigilat. Nec ferè ullum est scelus, quod non à tergo & è vestigio sua sequatur Nemesis. Sed misceamus hic historiam fusius excerptam, velut testem tertium.

VORACITAS VGOCLIONIS & FAGIOLANI. Cum in urbem Lucam properaret Vgocio, ut Castruccium, quem in vinculis habebat, securi ferendum objiceret, prandenti nuntiatum est, à Pisanis arma esse correpta. Et ille rāquam incertus, & parū verus esset nuntius, prandum continuavit. Adebat alter & tertius, Pisires perditas, Lūcenses quoque ad arnia convolasse, carcerem effregisse, Castrucium ē vinculis eduxisse, & principem civitatis salutasse. Vgocio comploratis rebus cum prætoriano milite ad Canem Scaligerum Veronam configit; non sine honore atque benevolentia recipitur, & multos dies lautè habetur. In convivio fortè mentionem facit Scaliger edonum

&amp; gu-

& Aliis, Vgocia.

& gulorum; cum gloriabundus subjungit  
Vgocio, se juvenem quatuor atiles capos,  
tortidem perdives, assas hœdi clunes, in-  
farctum vituli peccus, prater falsamenta  
catera in coena absumpsiisse.

*Dit talem terris avertite pestem.*

Aderat tum & audiebat vir ingeniosus &  
falsus, Petrus Navus, qui gloriante  
Fagiolanum facete tangens: non est mi-  
rum, inquit, haec à te juvē absumpta,  
cum senex & invalidis dentibus duas ur-  
bes integras uno prandio consumpsieris.  
Nam fama erat Vgacionem, si à prandio  
ciuitate temperare voluisset, facile duas ur-  
bes, Lucam & Pisam, servaturum fuisse.  
Vide Iovium 1. 1.

De tam strenuis comedonibus, man-  
duconibus, potatoribus infinita seges hi-  
storianum est. Selectiores diversas, hoc  
ipso loco notavi. Egregium illud & cer-  
tum epiphonematis loco addamus.

Femina Syra nobilis & locuples, tam  
tetra & prodigiosa ingluvie laborabat, ut  
in singulos dies triginta gallinas devora-  
ret, nec tamen insaturablem appeten-  
tiā sedaret alias triginta devoratura, si  
apponenterentur. Dixilles eam quō plus in-  
geret, eō vehementius esurire. Porten-  
tum famis, & quod pānē supereret Eri-  
sichthonis gulam. Ita paullatim accisae o-  
pes, & in rem escariam exhausti loculi.  
Cognati esuritionis tam sumptuose mi-  
fetti, beatum Macedonium virū sanctissi-  
mum

confi-  
torias  
us Va-  
irida-  
hanc  
fusius  
torias  
sele-  
mirum  
igilat.  
à ter-  
nesis.  
as ex-  
OLANI.  
Vgo-  
vincu-  
ceret,  
arma  
ertus,  
dium  
, Pis  
arma  
struc-  
em ci-  
tis re-  
anem  
n fine  
ur, &  
nvivio  
onum  
& gu-

mum conveniunt, & ejus auxilium implorant in feminæ tam malignam famæ. Macedonius morbum precibus & haustu fontanæ, quam cruce signaverat, porrecto ita curavit, ut effreni appetitione jam pulsa, gallinæ particula in alimoniam quotidianam sufficeret. Theodoreetus c. 14. de B. Macedonio, pag. 824. apud Rosvveyd.

Alia glutonum & popinorum miracula facile observabis, si exerpere coeperis. Addo triplex, ut coeperam, paradigma historiarum succincte transcriptarum, & *Historiorum* indicem propono.

FLAMMÆ SANCTORVM REVERENTES. De S. Mamerto Gregorius Turonensis l.2. Hist. Francorum, c. 36. fine. De sancto Germano & aliis, Beda l.1. Hist. Anglorum c. 19. & l. 3. c. 10. 16. 17. De S. Theclâ in igne illæsâ, Baron. tom. 1. an. 47. ab initio, pluribus numeris. De S. Petri cargo, idem, tom. 2. an. 167. n. 3. & seqq. De libris sacris per subitos imbræ rogo subtractis, idem tom. 2. 393. n. 38. Autores & historias hujus thematis innumeræ, sed breviter excerpsti. Namisque quam prolixum fit, texere catalogum de sanctissimis hominibus Clemente, Ançyrano, Constantio, Faustino & Iovita, Brictio, Modaldo, Pontio, Francisco de Paula Pergantino & Laurentino, Simplicio, Bonifacio, Cyrillo, Zenobio, Apollinari, Mamante, Miniate, Sabâ,

ba, Heleno, Marcello, Copres, Apellen,  
Crispino & Crispiniano, &c. De Agneta,  
Iuliana, Lucia, Zunegunde, Austreberta,  
Christina, Ruffina, & Secunda, Menodora,  
Nymphodora, Metrodora, Theognia,  
Zenobia; horum omnium & plurium  
aliorum verè reverentes fuerunt flam-  
ma, Surium, Lippeloo, Hartum consule,  
& tot historias dicti thematis invenies,  
quot hic nomina cernis. Ad aliud.

OFERTA OMNIA TANDEM APERTA, Iby-  
cigrues; Besli homicidium, &c. De hoc  
omnium optime ac fuse Delrius, tom. 2.  
Adagiorum sacrorum pag. 440. Corne-  
lius à Lapide, in c. 21. Deuter. pag. 1025.  
Agrum vidua ab Eudocia Imperatrice  
inique ademptum, tandem patuit, Spon-  
danus an. 438. De Comite innocentie  
damnato & necato, idem an. 998. n. 3.  
Mitto cætera.

GVLÆ VICTORIA. Serapion Sindoni-  
tes: Hominem, ajebat, tres perniciosi fe-  
neratores exagitant; Avaritia, Fornica-  
tio, Gula: cùm à prioribus jam liber est,  
tyrannidem Gulæ vix umquam penitus  
evadit. Historiam fusiùs narrat Palladius  
c. 83. med. apud Rosveydum, pag. 761.  
Sub eodem hoc titulo in mea *Historica*  
excerpsi quām plurima, quod meo Indici  
credo, qui paginas mihi diversas nomi-  
nat, in quibus historia illæ contractius  
pleræque sunt perscriptæ. Ipsum ergo In-  
dicem saltē per transennam inspiciamus.

**CAPUT**